



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Divi Thomae Aqvinatis Doctoris Angelici Opera Omnia**

Summa diligentia ad exemplar Romanæ Impreßionis restituta  
Complectens Primam Secundæ, & Secundam Secundæ Summæ  
Theologiæ

**Thomas <von Aquin, Heiliger>**

**Venetiis, 1593**

2 Vtrum sit tantum vltimi finis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72759](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72759)

eur, finis rationem induit: & similiter cum in eo sistitur, & eodem modo cum appetitur, ut per precedentia assequendum. Quo autem distinguuntur plures voluntatis actus, respectu eius, quod est ad finem, inferius dicitur.

¶ 1. Præ. Intentio designat ordinationem quandam in finem: sed ordinare est rationis, ergo intentio non pertinet ad voluntatem, sed ad rationem.

¶ 2. Præ. Actus voluntatis non est nisi finis, vel eorum, quæ sunt ad finem: sed actus voluntatis respectu finis, vocatur voluntas, seu fruitio: respectu autem eorum, quæ sunt ad finem, est electio, a quibus differt intentio. ergo intentio non est actus voluntatis.

SED CONTRA est, quod Aug. dicit in 10. de Trinit. \* quod voluntatis intentio copulat corpus visum visui: & similiter speciem in memoria existentem, ad actum animi interius cogitantis. est igitur intentio actus voluntatis.

RESPON. Dicendum, quod intentio, sicut ipsum nomen sonat, significat in aliud tendere. In aliquid autem tendit, & actio mouentis, & motus mobilis: sed hoc quod motus mobilis in aliquid tendit, ab actione mouentis procedit. Unde intentio primo, & principaliter pertinet ad id, quod mouet ad finem. vnde dicitur architectorem, & omnem præcipientem mouere suo imperio alios ad id, ad quod ipse tendit. Voluntas autem mouet omnes alias vires animæ ad finem, ut supra \* habitum est. vnde manifestum est, quod intentio proprie est actus voluntatis.

AD PRIMUM ergo dicendum, quod intentio nominatur oculus metaphoricè, non quia ad cognitionem pertinet, sed quia cognitionem præsupponit, per quam proponitur voluntati finis, ad quem mouet: sicut oculo præuidemus, quo tendere corporaliter debeamus.

AD II. dicendum, quod intentio dicitur lumen, quia manifesta est intendenti. Vnde & opera dicitur tenebræ, quia homo scit quid intendit, sed nescit quid ex opere sequatur, sicut Aug. \* ibidem exponit.

AD III. dicendum, quod voluntas quidem non ordinat, sed tamen in aliquid tendit secundum ordinem rationis vnde hoc nomen; Intentio; nominat actum voluntatis, præsupposita ordinatione rationis ordinantis aliquid in finem.

AD IIII. dicendum, quod intentio est actus voluntatis respectu finis: sed voluntas respicit finem tripliciter. Vno modo absolute: & sic dicitur voluntas prout absolute volumus vel sanitarum, vel si quid aliud est huiusmodi. Alio modo consideratur finis, secundum quod in eo quiescitur: & hoc modo fruitio respicit finem. Tertio modo consideratur finis, secundum quod est terminus alicuius, quod in ipsum ordinatur: & sic intentio respicit finem. Non enim solum ex hoc intendere dicimur sanitarum, quia volumus eam: sed quia volumus ad eam per aliquid aliud peruenire.

ARTICVLVS II.

Vtrum intentio sit tantum ultimi finis.

AD SECUNDUM sic proceditur. Videtur, quod intentio sit tantum ultimi finis. Dicitur enim in lib. sententiarum Prosperii, \* Clamor ad Deum, est intentio cordis: sed Deus est ultimus finis humani cordis. ergo intentio semper respicit ultimum finem.

¶ 2. Præ. Intentio respicit finem, secundum quod est terminus, ut dictum est: sed terminus habet rationem ultimi finis, ergo intentio semper respicit ultimum finem.

¶ 3. Præ. Sicut intentio respicit finem, ita & fruitio: sed fruitio semper est ultimi finis, ergo & intentio.

Sed contra. Ultimus finis humanarum volun-

tatum est unus, scilicet beatitudo, ut supra dictum est. \* Si igitur intentio esset tantum ultimi finis, non essent diuersæ hominum intentiones: quod patet esse falsum.

RESPON. Dicendum, quod sicut dictum est, \* Intentio respicit finem secundum quod est terminus motus voluntatis. In motu autem potest accipi terminus dupliciter. Vno modo ipse terminus ultimus, in quo quiescitur, qui est terminus totius motus: Alio modo aliquod medium, quod est principium unius partis motus, & finis, uel terminus alterius. Sicut in motu, quo itur de A in C per B. C est terminus ultimus: B autem terminus, sed non ultimus, & utriusque potest esse intentio, unde est semper sit finis, non tamen oportet, quod semper sit ultimi finis.

AD PRIMUM ergo dicendum, quod intentio cordis, dicitur clamor ad Deum, non quod Deus sit obiectum intentionis semper, sed quia est intentionis cognitio: uel quia cum oramus, intentionem nostram ad Deum dirigimus, quæ quidem intentio uim clamoris habet.

AD II. dicendum, quod terminus habet rationem ultimi finis, sed non semper ultimi respectu totius, sed quandoque respectu alicuius partis.

AD III. dicendum, quod fruitio importat quidem gentem, quæ est in fine, quod pertinet solum ad ultimum finem: sed intentio importat motum in finem, non autem in quietem, unde non est similis ratio.

ARTICVLVS III.

Vtrum aliquis possit simul duo intendere.

AD TERTIUM sic proceditur. Videtur, quod non possit aliquis simul intendere plura. Dicit enim Aug. in lib. de ser. \* Dñi in monte, quod non potest homo simul intendere Deum, & comensuratum corporale, ergo pari ratione neque aliqua alia duo.

¶ 1. Præ. Intentio nominat motum voluntatis ad terminum: sed unius motus non possunt esse plures termini ex una parte, ergo voluntas non potest simul multa intendere. ¶ 2. Præ. Intentio præsupponit actum rationis, siue intellectus: sed non contingit simul plura intelligere, secundum Philosophum. \* ergo etiam neque contingit simul plura intendere.

Sed contra. Ars imitatur naturam: sed natura ex uno instrumento intendit duas utilitates, sicut lingua ordinatur ad gustum, & ad locutionem, ut dicitur in 3. de anima. \* ergo pari ratione ars, uel ratio, potest simul aliquid unum ad duos fines ordinare: & ita potest aliquis simul plura intendere.

RESPON. Dicendum, quod aliqua duo possunt accipi dupliciter, uel ordinata adiuuicem, uel non ordinata. Et si quidem adiuuicem fuerint ordinata, manifestum est ex præmissis, \* quod homo potest simul multa intendere. Est. n. intentio non solum finis ultimi, ut

cap. 7. circa finem innuitur. & h. 1. 1. e. 3. & 4. clarus, & c. 6. tom 3.

¶ 9. arti. 1.

\* libro. 5. de ser. Domin. in monte, e. 21. a med. ad fin. vique tom 4.

¶ 9. q. 180. arti. 1. cor. Et 9. di. 38. arti. 3. Et uer. q. 23. ar. 13. cor. ¶ sent. 110.

¶ arti. 1. ad 3.

¶ 1. arti. arti. 1. huius quest.

¶ 1. arti. 1. Veri. e. 11 arti. 1. cor.

¶ 1. arti. 1. Lib. 2. ex ca. 21. 22. 24. 25. tom 4.

¶ 1. arti. 1. lib. 2. Tom cap. 4. in do. claratione 33. 34. 35. tom 1.

¶ 1. arti. 1. In fine. & lib. 2. textu 88.

¶ 1. arti. 1. cap. 1. c. 6. tom 3.

¶ 1. arti. 1. huius quest.